ORATIO
PRO REGIO THEOLOGORUM NEAPOLITANÆ UNIVERSITATIS COLLEGIO, SINGULARI FERDINANDI PRIMI REGNI SICILIARUM CLAVUM TENENTIS GRATIA RESTITUTO,

QUAM

ANTONIUS FEBRARO

REGIUS LIBRORUM REVISOR,

NEAPOLITANÆ ECCLESIÆ CANONICUS PRESBYTER PRÆBENDATUS, ET EJUSDEM COLLEGII EX-DECANUS

IN SACRIS SANCTÆ MARIÆ MAJORIS (VULGO PIETRA SANTA) ÆDIBUS AD SUOS COLLEGAS HABUIT

IV. Kal. Decem. an. MDCCCXVI.

NEAPOLI MDCCCXVII.

EX TYPOGRAPHIA VINCENTII URSINI

Publica Auctoritate.

SI quantum in sylvis, lustrisque desertis inter feras caecus rationis expers valet instinctus; tantum in urbibus, locisquè frequentibus inter homines praeclarum rationis valeret imperium: nunquam profecto homines tam vecordes reperiri possent, qui Naturae jura, et humana, quae ab iis nascuntur officia everti, contemni, negligi, vel saltem ignorari impunè posse, praefracte contenderent. Omnis enim, qui rationis est particeps, non interrupta volentis, jubentis Naturae voce ad omnipotentem Deum, unum rerum universarum opificem, rectorem providentissimum, unumque inexhaustum boni cujusque fontem totis viribus, ac super omnia primo colendum: deinde ad suipsius tuitionem, cultumque quaerendum: tum ad parentes, a quibus vitae spiritum ducit, secundum Deum pie, sancteque verendos: ad suos denique similes, eosque in primis, quibuscum aut affinitatis, sanguinisque cognatione, vel dein aliquo amicitiae, necessitudinis, patriaeve foedere conjungitur; eodem, quo in se fertur amore, benevolentiaque prosequendos excitatur. Haec ad unum omnia, etsi vel solo conscientiae testimonio tanto veritatis splendore refulgeant, ut nullam vel levissimam dubitationis nubeculam admittant, per retroactas tamen non defuerunt aetates, neque nostris certe temporibus desunt, qui ab honestatis, Religionisque castris desultores, et perfugae, luxuria diffluere, et in probra, ac flagitia, sese intemperanter ingurgitare cupientes, in ipsam audent Naturam arroganter insurgere; cumque Deo ipso insanientium more gigantum impudenter, scelerateque bellare; (1) sempiternam Naturae juribus, potioribusque hominum officiis noctem offundere; eorumque characteres rationabilibus animis jam inde a suae creationis initio divinitus insculptos delere; hominemque propterea sibi, societati humanae, Deoque prorsus inofficiosum constituere, manibus, pedibusque conantur. In hunc ne-

(1). *Numquid est aliud gigantum more cum Deo bellare; nisi Naturae repugnare? Cic. de Senect. cap. 2.*

quissimum bonae mentis ejuratae scopum, quo suas valeant mortiferas collimare sagittas, totum, quod sub pectore condunt, plenum impietatis omnigenae virus in disciplinas omnino corrumpendas, evomere nequiter moliuntur: quum nihil ad animos, moresque innocentium depravandos, facilius, ac validius hac ratione possit excogitari. Atque hinc effectum est, ut quae ad optimum animorum cultum institutae disciplinae fuerunt, perniciosissimis maleficorum improbitatibus foedatae, illos (proh dolor!) de nativae praestantiae gradu deturbatos in horrendam vilissimorum genus omne vitiorum colluviem conjiciant. Quae quidem cogitanti mihi, plura oborta sunt argumenta, quibus ne loquaci decipientium stultitia incautorum forte vincatur prudentia, neque infirmiores innocui, impudenti nocentium validiorum temeritate facile transversi agantur; maximum me quidem operae pretium facturum duxi, si honestarum, turpiumque disciplinarum discrimina, praecipuosque secum frontibus pugnantes adversis illarum effectus, hodierna hac ut ut levidensi oratione prosequerer. Quam ob rem hoc mihi pro viribus percurrendum suscepi = Naturae juribus, humanisque recte obeundis officiis, honestas cum Religionis puritate conjunctas multum prodesse disciplinas: contra vero, plurimum obesse inhonestas Religioni repugnantes — Generis humani res agitur, auditores: aequis bonisque animis adeste.

Quicumque hominis primordia, singulasque non declinandas, quibus a nativitate ad interitum subest, vitae vices attente rimatur, eundem velit, nolit, ad Religionem, ad sui cultum atque ad societatem institutione, impulsuque Naturae comparari deprehendit. In primis enim non sponte, vel vi sua, sed omnipotentis una Dei voce ex nihilo ad existendum prosiluit; ab eoque cunctas, quibus ornatur, vires, dotesque recepit. Quicquid igitur homo est, et omne, quod eidem inhaeret, solius Dei est, solique Deo debetur; quare sicuti recta suadet ratio, et Naturae vox clamat, et divina Religio dictat, seipsum homo totum, idest sui omnes animi cogitationes, singulosque corporis motus uni Creatori Deo, interno, externoque cultu subjicere, plenoque jure dicare tenetur. Id scite Lactantius innuit inquiens — Hac conditione nos homines gigni ut generanti Deo justa, ac debita praebeamus officia: hunc

solum noverimus, hunc solum sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo, et obligati sumus.

Ad sui deinde tuitionem, cultumque, toto Naturae pondere hominem inclinari, cum quae in ipso valde dominatur φιλαυτια; tum, qui eidem nunquam cohibendus inest inveniendae veritatis immotaeque adipiscendae felicitatis appetitus ostendit. Sed quoniam ambo vel primo mentis obtutu, ultro se cognoscenda offerunt hominem contemplantibus; iccirco fusa haud egent explanatione.

Hominem denique in societatem naturaliter ferri, non modo, qua claret, et a brutis animantibus apprime distinguitur, oratio suadet, cujus profecto nulla necessitas, nullaque foret utilitas, nisi ille inenodabili societati vinculo naturaliter foret obstrictus; sed etiam incommoda, labores, aerumnaeque humanam vitam obsepientes aperiunt: quibus sive ferendis, sive parte aliqua levandis, solus impar est, omni prorsus societatis adjumento viduatus. Nudus enim, ac vagiens, omnique virium robore destitutus primam homo venit in lucis usuram; mox animi, corporisque infirmitate nutantem infantiam subit; lubricis deinde adolescentiae viis, vitam, moresque in praeceps quotidie ducentibus insistens, ne vix quidem uno temporis momento potest sine casu, vel prolapsione consistere: tum ex ephebis excedens virilem aetatem ingreditur, cui etsi vis maxima inhaereat, inopinatis tamen ipsa casibus, inconstantiaque valetudinis exterius, multisque simul atrocioribus animi perturbationibus interius vexatur: ad corporis tandem viribus effoetam, animi vigore languentem, molestissimaque turba morborum circumfusam senectutem adducitur (1). Tot tantisque laboribus, periculisque vitam hominis per singulas eius periodos exagitantibus, aliquod Deus volens levamen apponere, hominem ad socialem vitam natura pronum instituit. Socialis hujus vitae necessitas statim agnita, dispersos in agris homines, et in tectis sylvestribus abditos in locum unum, atque in una moenia compulsos, et congregatos sub unius Patris familias potestate, arbitrioque redegit. Spectata vero regentis Patris familias moderatio, ejusque inter moribus proba-

(1) *Hos humanae vitae casus agnoverunt D. Augustinus lib. 4. contra Julianum. Cic. lib. 3. de Republica: Plinius in Praefat. lib. 14.*

tiores vigilans, prudensque οἰκονομίᾳ, plurium in dies accessione familiarum, ad tutius, commodiusque habitandum; primo condendis urbibus; deinde regnis, vastissimisque constituendis imperiis initia concessit.

Quae in praeludio ad orationis telam, ordinemque aperiendum leviter attigimus, Naturae jura sunt, et naturaliter humanis animis insita officia, quibus et edocendis, et plene persuadendis, immo et exequendis maxime prodest disciplinarum honestas. Singula singillatim sic admitor exponere. Inter barbaras quasque olim gentes, qui cultiores fuere populi, eas sibi profitendas, ceterisque tradendas disciplinas amplectebantur, quae etsi eos non sinerent ex infinito vitiorum ambitu, quibus irretiabantur exire, quasdam tamen stricturas, ac debiles minime pollutae Religionis ignes, in ridendae cujusdam superstitionis ambagibus, fictisque carminibus abstrusos includebant, quos in praesens elicere, et ad rem nostram, ne pigeat afferre. Et re sane vera, nullum, teste Xenophonte, cum instructo, paratoque exercitu, nisi deorum supplicatione praemissa, bellum Cyrus iniit: neque victor unquam e confecto bello rediit, quin cum victore milite, diis debitas pro relata ex votis palma, gratias festine referret. Graeci in maximis quibusque rebus deliberandis, nil sibi prius faciendum proponebant, quam sua, quae divina putabant, oracula consulerent. Romani a superstitiosis Hetruscorum moribus non recedentes rei cuilibet magnae, ac maxime bellicae ineundae, pro suorum exploranda voluntate deorum haruspicia, et auspicia praemittebant, atque suscepti toto tempore belli Jani templum custodiebant apertum, certa spe confisi, ex Urbe cives ad bellandum egressos, ejusdem favore numinis, victoriae sertis redimitos, in eandem gloriose rediturus. His Tullius disciplinis imbutus, Religionem, justitiam erga Deos professus, dixit = Hac Religione, atque hac una scientia, quod deorum immortalium vigilantia, cuncta regi, gubernarique perspeximus, gentes omnes, populosque superavimus. Earumdem Plato disciplinarum monitis haerens, fidenter asseruit = Facilius urbem in aëre exaedificari potuisse, quam ullam civitatem, societatemque constituere, sine certa vigilantissimi numinis, cuncta ad rectum societatis ordinem dirigentis persuasione. Quid plura congerendo frustra vagor? Adeo namque de hoc argu-

mento multa sunt, ut omnia vel summatim referre si mallem, et dies me quidem tota deficeret, et vobis, praestantissimi auditores, taedium procrearem. Quocirca ceteris, quae possent afferri, consulto praetermissis, uno illo contentus ero, nimirum, cum sola disciplinarum honestas, inter gentes supernaturali quovis auxilio carentes, tantos, quos modo retulimus, edere potuerit effectus: quid nobis erit de illarum disciplinarum honestate sentiendum, quae christianis refertae monitis, doctrinaque evangelica illustratae, universo hominum generi erudiendo impenduntur? Ipsae ad certum finem tendere, tutum iter ingredi, virtutibus assuescere, errores, errorumque pericula devitare, primum docent; deinde neque opes, neque pecunias, neque imperia, neque corporeo sensu capiendas voluptates appetere, sed morum probitatem sequi; unamque incorruptae veritatis inquisitionem prae oculis habendam esse suadent. Incommutabilis denique boni adeptionem, fruitionemque non desituram, ex rebus optimis a Religione cuique propositis, hauriri solummodo posse, definiunt. Ecquis igitur adeo demens erit, ac stupidus, qui vel prima fronte non intelligat, istarum homines incitamento disciplinarum, ad Religionem primum, ceterisque nobilius naturae rationalis officium erga Deum exercendum summopere commoveri? Erga Deum scilicet corporeis omnino sensibus impervium, liberrimum Coeli, terraeque Creatorem, Rectorem universae creaturae providentissimum, ac beneficentissimum bonorum omnium largitorem, supremo super omnia visibilia, et invisibilia cultu, divinoque honore prosequendum?

Primum, quod sibi Religio vindicat jam expositum, proximum alterum excipit hominis officium, quo se ipsum impense tenetur excolere. Alterius hujus officii, cum necessitatem in medium afferunt honestae disciplinae; tum certas illius perfunctioni perutiles, necessariasque tradunt rationes. Quoniam optimum animorum cultum in vitiorum declinatione, exercitioque virtutum collocant: cognitionibus rectae rationi conformibus eos imbuunt: effraenas quasque cupiditates coërcent, unde illorum mitescunt mores, ne indomitorum instar equorum nimia ferocitate exsultent. Tantis igitur animi adjuti praesidiis, prudentiae, fortitudinis, temperantiae, justitiaeque virtutibus, maxima contentione colendis incumbunt. Honestas

disciplinas, suos edocere alumnos, quum sibi laudabiliter proposuisset Quintilianus, dicere consuevit = Oratorem instituimus illum perfectum, qui esse, nisi bonus non potest: ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed animi virtutem exigimus: quare si studiis quidem scholas prodesse; moribus autem nocere constaret, potior mihi ratio honeste vivendi, quam vel optime dicendi videretur. Tergeminis laudibus Lycurgi leges extollit Cicero, quibus ex Platonis testimonio Graeciae Sapientes, adolescentibus ad honestatem informandis, quo sibi, patriaeque utiliores fierent, suam omnem operam, prudentiamque impendere jubebantur. Neque alius animus, aut mens alia, praestantissimis quotquot Roma habuit praeceptoribus fuit, quam, ut, teste Tullio, juventutem privatis, publicisque rebus bene, honesteque gerendis idoneam constituerent. Honestis disciplinis egregium illud Africani facinus debetur, quo subactis Hispaniis, bello captam eximia forma virginem, parentibus, sponsoque, et juvenis, et caelebs, et victor, narrante Valerio Maximo, tradidit inviolatam. Iisdem Curius disciplinis debuit, quare ne Rempublicam proderet, ingens sibi a Samnitibus oblatum auri pondus respueret. Item ab earundem disciplinarum scatebra Censorii Catonis parsimonia, sobrietasque; admiranda Caesaris in Marcellum clementia; aliaque plura gloriosa gesta fluxerunt, quae eximii virtute viri quovis tempore praestiterunt. Praeterea honestae disciplinae cum Magistrorum bene moratorum auctoritate, exemploque conjunctae tenellam aetatem ab injuriis vindicant; cogitandi turpitudinem emendant; ferociores a licentia deterrent; vitiosiores, ac molliores ab otio, ludo, carnaliumque voluptatum blanditiis avocant; viamque planam intellectui sternunt ad incorruptam, veramque philosophiam, quae virtutum quidem altrix est, et vitiorum expultrix; cujus studiosi cultores, auctore Seneca, fiunt fortiores, justiores, liberiores.

Quae primo ad Religionem, secundo ad proprium cultum excitant animos, tertio ad ea, quae humanae societati Naturae jussu debentur officia fideliter, prompteque praestanda, suos honestae disciplinae tirones impellunt. Quandoquidem auream illam Tullio dignam sententiam eorum animis instillare non cessant, quae sic habet = Nulla vitae pars ne-

que publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas vacare officio potest: in eoque excolendo sita est vitae honestas omnis, et in negligendo turpitudo. Item alteram, quae a Tulliana non porro est Platonis ad Architam Tarentinum scribentis sententiam saepissime repetunt, nimirum Homines, hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent: in hoc Naturam debemus sequi ducem, communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum; atque tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem. Nonnullas artium utilitates in genus humanum derivatas ita Cicero recenset = Tecta, quibus et frigorum vis pellitur, et calorum molestiae sedantur; unde generi humano ab initio dari potuissent, aut postea subveniri, si aut vi tempestatis, aut terraemotu, aut vetustate cecidissent, nisi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didicisset? Quis porro aegris subveniret, aut, quae esset oblectatio valentium; qui cultus, aut victus, nisi tam multas artes societas ministraret? Et re quidem vera neque Apelles, neque Apelle quisquis excellentior alter suis depictas tabulis exhibere valebit, quot, quantaque commoda in humanae levandae egestatis auxilium inventae artes induxerint: ex quo suas commune illud adagium sine ulla dubitatione vires accepit = λυμην ατυχιας ϛιν ανθρωποις η τεχνη = idest = ars inopiae portus est hominibus. Jam vero artium utiliorum, cujusmodi profecto sunt, quae circa res rusticas, pastorales, nauticasque versantur, origo, perfectio, ususque disciplinis, ac praecipue physicis, ac mathematicis, uti norunt omnes, debentur honestis. Ab istis enim honestatem maxime redolentibus disciplinis pactiones illae, legesque vim, ac robur hausere suum, quibus reciproca inter longe dissitos, magnoque marium interjectu sejunctos populos statuta sunt commercia, quarum parente foecundissima praxi, factum est, ut nemo, quod sui soli indoles, et coeli negat ingenium, hodie desideret; quin et omnibus ad vitam, vitaeque cultum requisitis, veluti domi natis abunde, ac laetanter perfruatur. Iisdem porro disciplinis sua debent initia, et incrementa juris aequitas, legumque civilium sanctitudo, quibus universus coetus hominum in officio maxime continetur. Apposite ergo quis-

que poterit cum Tullio dicere = Quandiu Roma bonas disciplinas excoluit, tandiu Magistratus, et Imperium ex eo tantum laudem capere studuisse, si provincias, si socios fide, et aequitate defendissent: tandiu Senatum, portum fuisse Regum, et populorum: tandiu Imperium totius orbis terrae, victarumque gentium patrocinium extitisse: tandiu Imperatores, Ducesque, nulla, nisi stabiliendae causa pacis bella suscepisse; neque vincere, aut vinci aliquid reputasse, si futurae pacis nulla foret spes: tandiu denique Romanos ipsis quoque hostibus datam sancte servasse fidem; cumque illis humaniter egisse; quod et suo Attilius ad Poenos reditu; et rebellem, ac profugum, proditione rejecta, ad Pyrrhum remittentes Fabricius, et Senatus egregiis facinoribus comprobarunt. Hinc jure, merito idem Tullius ait — Quod munus afferre majus, meliusque reipublicae possumus, quam si juventutem doceamus, et erudiamus his praesertim moribus, ac temporibus, in quibus adeo prolapsa est, ut omnium opibus servanda, atque coërcenda sit? Quae quum ita sint, optimo Romani consilio suos a die tirocinii adolescentes alicui insigni viro virtute praecellenti, magnaeque civium parti probato educandos erudiendosque commendabant: ex quo sibi certo certius promittebant, illos honestas disciplinas tempore ineuntis aetatis acceptas, per totum vitae cursum non infracte, sed confirmato animo servaturos; ideoque cum per aetatem liceret sibi, et patriae, privatis aeque, ac publicis rebus per quam maxime profuturos (1). Quae hactenus de miris, magnisque honestarum disciplinarum emolumentis fuse prosequuti sumus, paucis perstricta nobis exhibet Henricus IV. Rex Christianissimus; qui satis intelligens, se non ad corruptionem, perniciemque, sed ad honestam, utilemque populorum tutelam, administrandum, Deo dante, imperium suscepisse: Regio chirographo ad Academiam Parisiensem misso, ita loquitur = Quum omnium regnorum, et populorum, tum maxime Reipublicae Christianae salus a recta juventutis institutione pendet, quae rudes adhuc animos ad humanitatem flectit: steriles alioquin, et infructuosos Reipu-

(1) *Natura tenacissimi eorum sumus, quae rudioribus percipimus annis; et haec magis pertinaciter haerent, quo sunt deteriora. Teneriores annos Magistrorum probitas ab injuriis custodit. Quintil. in procemio lib. 1. cap. 1.*

blicae muniis idoneos, et utiles reddit: Dei cultum, in Patriam, et parentes pietatem: erga Magistratum reverentiam, et obedientiam promovet. His ergo ita se habentibus, neminem futurum puto, qui vel in dubitationem stulte revocare, vel multo stultius inficias ire audeat, honestas disciplinas Christiano Evangelio consonas, Religionem tanquam primum, caeterisque praestantius hominis erga Deum officium, maxime promovere: suorum alumnorum animos virtutibus nobilitare: societatem humanam ingentibus cumulare utilitatibus; sive Naturae juribus, sanctioribusque recte obeundis hominum officiis, honestas disciplinas cum Religionis puritate congruentes, multum prodesse: quod mihi primum pro viribus percurrendum suscepi. Eo igitur jam perfuncti, agite nunc, Auditores Sapientissimi, atque ad alteram orationis partem animum appellite; in qua datam vobis fidem spero me facile liberaturum; si in ejus tractatione, ostendere mihi divino favore successerit, iisdem recensitis Naturae juribus, humanisque officiis; inhonestas Religioni repugnantes disciplinas plurimum obesse: cujus veritatem sic meo declarandam.

Duo sunt, quibus omnis disciplinarum vitiositas, et turpitudo concluditur; quorum alterum, sic summum bonum instituit, ut totum in corporis voluptate consistat: alterum boni cujusque rationem omnem privatis commodis, non honestate metitur. Utrumque Religionis praecepta violat, mentis humanae decus, excellentiamque prosteruit, et socialis vitae statum, ordinemque hominibus consentaneum perturbat, ac delet. Quod in primis ad Religionem attinet, satis compertum est, omnes quotquot summi boni rationem corporeis inesse voluptatibus opinantur, finita infinitis, aeternis caduca, humana divinis, uno verbo Creatori creaturam anteponere; ideoque nobilissimam morum regulam ab Augustino traditam, et a Religione inculcatam odisse semper, et arcere, qua ratione praeditus animus creatis utendis uti, increatis vero frui fruendis obstringitur. Satis item constat, eosdem, ne a turpi voluptatis corporeae caeno, vel minimum patiantur averti, materiales putare hominum animas, et hemerobiis uno die viventibus assimiles: illis propterea nihil post eam, quam vivunt cito desituram vitam sperandum, metuendumque relinquere: in eoque Regem Syriae Sardanapalum stulte, impie-

que sequi, qui epitaphium illud suo inscribi jussit busto ita conceptum — Haec habeo, quae edi, quaeque exsaturata libido hausit — quo, judice Aristotele, nihil dignius posset sepulchro bovis inscribi. Certum denique est, hos, qui talia sentiunt, ne vigilantissimum justitiae vindicem, praemia probis, improbisque poenas, sive in praesenti, sive in futura vita justissime decernentem sustinere, ac pertimescere videantur; de potestate mentis misere exeuntes in putidisssimum atheismum prolapsos, insano non magis, quam scelerato ausu, Deum phraeneticis sermonibus posse e medio tollere sibi blandiri: Humana hujusmodi monstra, ac teterrima portenta in Aristippi, Epicuri, Annicerisque haris copioso impietatis pabulo saginati, nihil sollemnius habent, quam effutire, vitam omnem, omnino nullam esse, voluptatibus carentem: immo neque virtutem propter seipsam, sed ob id solum esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis. Nefariam hanc atque horrificam istorum impudentiam Seneca valde stomachatus exclamavit — Oh miserum virtutis famulatum servientis voluptati! Huc stultos sui cultores inordinatus corporeae voluptatis ardor adducit, ut infensissimos Religionis hostes esse, ejusque violare praecepta non erubescant; quum ipsae incultae, barbaraeque gentes, suae tanto, sola Natura duce, religioni studio adhaeserint, ut eandem ad superstitionis usque cachinnis excipiendae metam perduxerint.

Ad hoc, quos Religionis, Deique perduelles jam manifeste deprehendimus, voluptarii, non minus turpiter, quam dementer se, suosque abjiciunt animos; quum temere blaterent, nullum esse, darique posse bonum, nisi corporeis blanditiis haerens. Et sane quisquis attento animo, neque in meridie caecutire simulans, seipsum intime perscrutatur, suam experitur mentem duabus infinitae capacitatis, intelligenti scilicet, volentique facultatibus exornari. Qua de causa, sicuti ad investigandam, inveniendamque veritatem intellectus, qui comparatur humanus, nisi ad summum, infinitumque verum comprehendendum accesserit, nunquam quiescere videbitur: ita, quae ad infinitum bonum suapte natura trahitur humana voluntas, nisi illud adsequatur, nunquam suis optionibus finem imponit. Atqui omne, quod in adspectabili mundo versatur, quodque corporeo capitur sensu limitatum est, ac variabile;

propterea tum veritatis, tum bonitatis infinitae omnino incapax, neutram sive intellectui, sive voluntati concedere, vel offerre potis est. Tanta enim veritas, tantaque bonitas enti cuique insidet, quantam continere patitur propriae naturae conditio. Quandoquidem Ens, Verum, Bonum, sive *Esse*, *Verum Esse*, et *Bonum Esse*, tria haec arctissimo nexu nulloque a se invicem distrahenda discrimine secum cohaerere, demonstravit Angelicus. Quocirca intellectus in una mundi contemplatione permanens, infinitam quam quaerit veritatem, nequit invenire: tum et voluntas sensibilibus tantummodo dedita deliciis, earum, quae citius fere, quam incipiunt, evanescere solent, naturali lubricitate, semper illusa, suis pro infiniti boni consecutione satis nequiens facere votis, crudelibus, ac sempiternis afficitur cruciatibus. Si Luculli, Hortensiique suis se piscinis valde oblectantium voluptates, homine, referente Tullio, reputabantur indignae, quodnam nobis erit de nostrorum voluptariorum deliciis judicium proferendum? Ipsis nihil tam vile, tam vulgare, tamque indecens decori mentis est, cujus partem ullam relinquunt: suarum namque voluptatum ministrae sunt stultitia, scurrilitas, intemperantia, turpitudo, quae risum, contemptum, stomachum, indignationemque movent. Stulti enim domibus dominos, non domos dominis honestari putantes, laxitate magnificas sibi domos eligunt ad amaeene, non salubriter habitandum. Scurriles deinde, ac mimici incessu solutiori, alio vocis sono, patrio vestiendi more repudiato Sarabaras, Linas, Rhenones, Mastrucas, Strigesque, quasi si nihil his venustius, nihilque sit decentius assumunt: quin, et hyeme τεριςρον, aestate vero χειμαςρον induentes, aestivo uri caumate, hibernoque rigere gelu dementissime patiuntur. Joculari hoc corporis habitu urbem circumeunt, ad spectacula fastosi veniunt, et vultu, oculisque minacibus vim tribunitiam se intuentibus ostendunt; nec intelligunt se apud concives picarum loquacium speciem praeseferre; dignosque haberi, in ludo, qui vehantur pro citeria. Tum gulae valde dediti, intemperantium partes helluonum implent; phiditia, parcasque Lacedaemoniorum caenationes recusant; et Lautitiae extra modum indulgentes opiparis Macedonum mensis, et majoribus, frequentibusque poculis delectati, attagenam ructare amant, et de comeso acipensere gloriantur. Postremo, quod maxime indolen-

dum est; iis pro more obscenitatibus foedantur, quas et dicta turpissimas, teste Tullio, Posidonius reputavit; quasque nemo sine stomacho ferret in belluis. Apposite igitur Tullius inquit = Non hominnm mihi videtur vox, sed pecudis, quae summum bonum in corporis voluptate constituit: Tullio Seneca concinens pressins ait — Voluptas bonum pecoris est. Nonne ergo voluptarii seipsos turpiter abjiciunt, qui Mentes humanas ad infinita, et sublimia naturaliter comparatas, ad finita, et ima adeo deprimunt, ut ex hominum eximi nnmero, et in belluarum referri censum morum turpitudine promereantur?

Denique, qui veluti summo bono voluptati corporis acquiescunt, non virtutibus, non consiliis, non gestis praeclaris, felicitati, gloriaeque socialis vitae consulunt; sed vitiis, sceleribusque sociales quosque nexus infringunt; unde hostili eorum maximo concussa impetu omnis repente societas intercidit. Id Archita Tarentinus in ea oratione diserte prosequitur, cujus fragmentum, Laërtius lib. VIII., et Cicero de Senectute sic referunt = Voluptas non habet ullum cum virtute commercium: neque in voluptatis regno potest consistere virtus. Nullum malum facinus nullumque scelus est, ad quod snscipiendum non libido voluptatis impellit. Impedit consilium voluptas: quisque cum voluptate incitatur, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posse experitur; et quo major, ac longinquior est voluptas, eo facilius mentis omne lumen evertit. Voluptate corporis nulla capitalior pestis dari potest hominibus: ex ea patriae proditiones, Rerum publicarum eversiones, et cum hostibus clandestina colloquia nascuntur. Stupra vero, et adulteria, et omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitatur, quam voluptatis — His omnibus, praeclarissimi auditores, non quidem servari, foveriqne humanam societatem, sed reapse perturbari, labefactari, penitusque deleri magistra rerum experientia docet. Oh nimium infelices societates, et urbes, quae immoderatos alunt voluptarios!

Postremo illud superest breviter expendendum, ex legibus hactenus descriptis voluptariis, in seipsos, in humanam progeniem, et in Religionem, eos non mitius insaevire, qui omnem boni cujusque rationem, non honestate, sed privatis duntaxat utilitatibus contendunt esse metiendam. Quandoqui-

dem, etsi Natura, ut omni animantium generi, ita potissimum homini dederit, se, suamque vitam tueri, sibique profutura sequi, nocitura vitare; in his tamen omnibus non laxas arbitrio, indomitaeque cupiditati concessit habenas; sed eas ad honestatis, temperantiae, justitiaeque normam, modumque jussit esse regendas. Hunc servasse modum, suosque Naturae norma direxisse mores, inventi sunt Aristides, Fabricius, Carius, Cincinnatus, aliique non pauci optime morati viri, quibus nunquam satis laudanda cura fuit, privatam transigere vitam, nullosque aucupari honores: quos etsi aliquando acceperint inviti, eos tamen graviter sane, probeque gestos, omnemque inde dominatum merito quaesitum, aegre emulanda magnanimitate deponentes, prisca, quae unice anhelabant lararia repetierunt. Quod vero fidem omnem videtur excedere, inter eos aliquos non defuisse constat, qui tanta se veritate, animique constantia aurum, opesque recusarunt, ut in maximis honoribus, rerumque summam habentes, nec sibi tantum deprehensi sint pecuniae congessisse, quantum suis satis potuisset esse funeribus persolvendis. Talium gestorum non minuendam commendationem, neque diuturnitate temporis dimittendam memoriam, non magis tota celebravit antiquitas, quam et nostra communi plausu celebrat aetas, et tarda pariter erit celebratura posteritas, non simulatis, sed sinceris animorum significationibus. At ab istarum virtutum, tantas suis cultoribus laudes et aeterna praeconia concedentium consortio, qui spreta honestate, sibi tantum utilia quaerunt, omnes omnino propulsantur: idque eo vel maxime, quod duobus φιλοτιμιας, και φιλαργυριας, ambitionis nempe, avaritiaeque sagittis suos ad necem vulnerant animos: quibus apud omnes jacent inglorii, turpiter vilescunt, despicatui habentur: quin et sui, suorumque animorum carnifices effecti, perpetuis inexplebilium desideriorum aestibus jactati, noctes insomnes, et molestiores perperam desiderando ducunt dies. Ambitiosos enim, in confesso est apud omnes, novis sine intermissione honoribus aucupandis, non secus, ac opibus, auroque semper inhiantes avaros, acerbissime cruciari.

Neque deinde φιλοτιμοι, et φιλαργυροι se, suosque tantum animos prosternunt; sed omnibus porro socialibus juribus, Naturaeque legibus conculcatis, ipsam societatem inva-

dunt perdituri . Nam Naturae lex est , ut omne , quod cuique obtigit id jure , ac tuto quisque teneat , neque ab ejus possessione depelli , aut illius aliquam diminutionem patiatur invitus . Hanc Naturae legem , qui suae solum utilitati mancipantur , evertunt , quum suas pro more , rebus alienis amplificare cupientes , nullum legitimum sinant possessorem in civitate versari . Syllaturire enim amant , Syllaeque propterea vestigia promunt . Hic cum dictator esset , ita Rempublicam oppressit , ut nemo , illo invito , nec bona , nec patriam , nec vitam obtinere posset , atque civium opes , quasi hostes essent , hasta in foro posita , dicere audebat , praedam suam vendere . Tunc , ait Cicero , desitum est videri quidquam in socios iniquum , cum extitisset in cives tanta crudelitas . Iidem porro neque eorum , qui stadium currunt exempla sibi in petendis honoribus ob oculos sequenda proponunt , quibus concurrere , et quam maxime contendere , ut vincant , jura , legesque permittunt ; concurrentes vero supplantare , aut depellere manu religiose cavent . Quoniam ipsi , ut ad sibi indebitos , quos valdius anhelant , honores perveniant ; ficta veris , probatisque falsa praeferunt ; et honestos quosque , ut ab iisdem juste petitis honoribus arceant , falso insimulantes facinora admisisse , incesto ore dilacerant . Atque hinc ob erepta dignis , indignisque concessa , dissensiones , jurgia , simultates , odia vatiniana , vindictae , immanesque clades exardescunt ; quibus hostili quovis crudelius impetu saevientibus , adeo publica sospitas , et perfecta societatis harmonia concutitur , ut ipsa brevi tota perdatur societas . Quemadmodum licet innumerus , optimeque sit instructus exercitus , nulla re magis dissipatur , ac vincitur , quam , qua duces , et milites propriae , non publicae salutis incipiunt consilia capere : sic nulla domus , nulla societas , nullumque diu firmum stare poterit imperium , in quo non recta , et cujusvis jura ex aequo respiciens honestatis ratio , sed privata , semperque improbanda utilitas omnia machinatur , ac regit . Non alias altis imperiis causas stetisse novimus , cur cito corruerent , funditusque perirent .

Tandem , qui honestate contempta bonum omne in sua utilitate stabiliunt , in Religionis exitium impie conjurasse deprehenduntur , quam velut illepidum humanae calliditatis inventum impie traducunt ; ejusque imperata temere , jocoseque despi-

ciunt. Et re quidem vera soli Deo tanquam summo bono adhaerere, in eoque spem omnem ponere, injuste rapta, juste esse restituenda, egentibus subveniendum esse, unicuique Religio praecipit. Verum sanctissimis hisce Religionis praeceptis omnes, qui impotenti illudentium honorum, labilisque auri fame tenentur, nequissime adversantur; cum nihil, his exceptis, sibi persuadeant exoptandum. Deinde, quaecumque injuriose rapuerunt, tantum abest, ut juste restituere curent: quin immo injuste raptis, nova, majoraque in dies per injuriam rapienda sceleratius adjungant. Auro denique congerendo perdite mancipati, nullam non modo egentibus necessaria praebendi auxilia curam gerunt, sed iis quoque, quae calamitosis, pauperibus, languentibusque levandis piissima patria solet offerre, contaminatas manus afferunt; atque vel in suas domos deportant, vel in suos, suorumque collusorum, comprausorumque usus convertunt. Haec Verrem, haec Syllam, haec alios quosque ejusdem furfuris humanitatis hostes fecisse, proditum est memoriae. Hos non pupillorum momordit gemitus; non civium punxit egestas; non agnatorum miseria movit, non patriae luctus; non intermissa judicia; non deplorandum justitiae exilium, mitiores, humanioresque efficere potuerunt. Non aeneum quidem Herculis crepitaculum foret his pellendis stymphalidis. Et propterea inhonestae, turpesque disciplinae, sive summum bonum in corporis voluptate constituant; sive cujusque boni rationem privatis commodis, non honestate metiantur; Religionis praecepta violantes; mentis humanae decus abjicientes; societatis humanae statum, ordinemque evertentes; potissimis Naturae juribus, sanctioribusque hominum officiis, plurimum obesse inveniuntur.

Avertat ergo Deus a nobis, ab hac urbe, a regno nostro, atque ab universa terrae facie dirissimam turpium disciplinarum pestem; atque nos, nostraque, aliorumque scelera populorum, hac una excepta, quovis alio puniat supplicio. Vobis itaque solertissimi Collegae, una, eademque maxima injicienda cura est, qua populi nostri mores ad honestatem, Christianaeque Religionis normam componere; qua corruptos Volupiae litantium mores, vehementer, ac sine iracundia redarguere; qua infames maleficorum libellos obscenitate, irreligiosisque doctrinis foedatos prompte, viriliterque confutare

qua denique Christianum Evangelium, constanter asserere, ac strenue defendere possitis; ne perditissimorum hominum voces, Syrenum vocibus periculosiores, non ex uno hodie scopulo, sed ex omni terrarum parte circumsonantes, ad nostrorum civium, vel ad honestiorum quorumque populorum aures, vobis non sine piaculo oscitantibus, perferri patiamini. Vestris hisce omni laude dignis laboribus, immotum Christi stabit Evangelinm, et Catholicae Ecclesiae professio laetior, ac splendidior propagabitur. Populus legem exquirens, ad vestram αλητολογιαν; sive veriverbium confugit, eamque non oratoriis exornatam flosculis, selectorumque verborum aures, animosque pellicientium facu illitam; sed brevi, simplicique, (quod veritatis ratio postulat) narratione expositam cupit excipere, juxta tritum adagium = απλους ο λογος της αληϑειας εςι = Simplex nempe sermo veritatis est = . Idem populus, ne dubius, vel facili lapsu erraticus agat a vestris moribus, suorum regulam, normamque morum studiosissime satagit haurire. Hanc ducendae vitae rationem, qua errandi pericula devitarent, sui temporis adolescentibus Seneca proposuit; quos ad virtutum exercitia inflammaudos ita hortabatur = Ad meliores transite, cum Catone vivite, vivite cum Laelio. Tanta quidem est, tantumque potest docentium bene moratorum auctoritas! Nonne Publii adoloscentiam, Publii Mucii domus ad opinionem innocentiae, scientiaeque juris, teste Tullio, commendavit? Ecquid igitur immorari, vel praepedire vos poterit, dulcissimi Collegae, quin ad honestas Christianae doctrinae consonas disciplinas, magnis animis, at praepropera festinatione docendas animum admoveatis? Nonne nostri nostro Collegio adscripti pracdecessores ad id omni studio exequendum suo nobis praeiverunt exemplo? Nonne ipsi, ne rudioris popelli institutionem cultumque negligere viderentur, assiduis dissertationibus italo sermone elaboratis, publiceque recitatis, Jesu Christi Evangelium, Ecclesiaeque Catholicae fidem a venenatis omnibus, tum externorum, tum internorum hostium jaculis liberatam exponere, statuere, ac promulgare solertissime studuerunt? Haec nostri Collegii studia, hi nostrorum Collegarum mores, qui, et pro Reipublicae Christianae stabilitate, et pro populis in sociali quovis officio continendis (1) pluri-

(1) *Civilis societatis felicitas, Christianae Religionis vi firmatur, et floret.*

mum valent, tantam Collegio fidem, tantamque apud Reges Christiana pietate praeclaros gratiam pepererunt, ut idem a suis incunabulis Regum munificentia eximiis, singularibusque gratiis, favoribus, privilegiis, ac praerogativis cumularetur. Hinc regiis diplomatis Regii Collegii nomen accepit: hinc cum Regiis Gymnasiis Regiae Universitatis commune nomen obtinuit: cumque illis non duas, sed unam, eandemque Universitatem constituit, uno facultatum regio beneplacito, jussuque exercendarum discrimine distinctam. Hinc docendo addicta fuere Gymnasia, Laureis vero theologalibus semper fuit Collegium destinatum: hinc si qui etiam ex gymnasiorum praeceptoribus, theologalem Lauream appeterent, Collegium tenebantur adire, eandam in eo consecuturi: hinc denique in ipsis gymnasiis, neminem in more fuit ad theologiam docendam admittere, nisi concurrentium examini Vice cancellarius, qui unus semper fuit ex Magistris, nomine Collegii cunctorum concurrentium interesset examini, suumque pro approbando votum proferret: uno excepto casu quo Rex regio chirographo, aliquem ad Theologiae docendae munus proveheret. Neque vero praedicta facultas, vel ullum ex innumeris, maximisque privilegiis Regum favore Collegio concessis Federici Secundi aetate Regia studiorum gymnasia instaurantis, vel post ejus tempora, de antiquo consueto more decessit: sed omnia sarta tecta in primaeva sua integritate permanserunt. Universa namque Collegii privilegia ab ejus fundatore Rogerio Primo inchoata, per ejusdem successores omnes, ac praesertim per Reginas Johannam Primam, et Secundam, per sapientissimum Alphonsum Primum Aragonium, per immortalis memoriae Carolum Tertium Borbonium augustissimum gloriosissimi Regis nostri parentem; perque ipsum Regem nostrum Ferdinandum Primum, clavum Regni Siciliarum tenentem, (quem semper Deus cum sua progenie sospitet, servetque) majora, et exquisitiora in dies incrementa susceperunt. Propterea per septena circiter saecula Collegii nostri decus, et ornamentum his firmatum praesidiis immutabiliter, ac feliciter effulsit.

Rebus in hoc statu manentibus, ubi militaris occupatio, nostrum hoc Siciliae citra pharum paucis abhinc annis regnum invasit; cum Ferdinandus Rex noster amantissimus corpore, non animo hinc a nobis abesset, indicta causa, subitoque im-

petu in nostrum Collegium vehementer irruente; idem inopinato suarum facultatum divergio e vestigio siluit, jacuit, interiit. At ubi primum ad nos, avitamque sui regni partem ipse Rex noster Ferdinandus, ingenti populi plausu gloriosissime rediit; pristini sui erga nostrum Collegium amoris haud oblitus, antiquis eidem gratiis, favoribus, privilegiis, ac facultatibus Regio Diplomate restitutis; illud e cineribus excitatum, singulari, vereque Regia munificentia, ad pristinam vitam, statumque benignissime revocavit. Vos gratissimi Collegae pro tanta Regis benevolentia, diuturno moerore deposito laetantes illum cito adistis; sinceras, ac maximas ei gratias retulistis, majoresque semper habituros promisistis. Vos proni divinum thronum adeuntes Deo Optimo Maximo singulare hujusmodi beneficium acceptum veris animi sensibus referendo, illum enixe adprecati estis, ut tantum, ac tam benevolum Regem de nobis, de nostro Collegio, deque toto sibi subdito populo benemerentissimum, divinae sapientiae thesauris locupletaret, ac pro suo, communique bono plus uno posthac saeculo Ferdinandum Primum Pium, Felicem, Augustum servaret, ac tueretur.

Cavete igitur Collegae carissimi, ne a nostris praedecessoribus degeneres, ab eis vel transversum unguem discessisse: cavete, ne sancte, religioseque implendum, quod in Laureae Magisterialis acceptione, medio in Collegio juramentum sollemniter protulistis, convenienter non explevisse: cavete, ne populi vota, expectationemque vel minimum defraudasse: cavete, ne Regis voluntati adamussim non obtemperasse deprehendamini. Haec vero, etsi mihi sit certissimum non socordem vobis naturam, et negligentes mores esse, qui necessariam sollicitudinem, quaesitumque pro christiana religione promovenda possent studium retardare, tamen commemorare malui, ut omnes, vel fortasse aliquas ejusmodi notas, vobis a quovis malevolo, etiam per injuriam inurendas devitetis. Id facile, mihi credite, obtinebitis, si vernaculo idiomate, unoquoque mense in vestris dissertationibus elucubrandis, ex animo non excesserit, quod ab initio mihi pro viribus percurrendum assumpsi, nimirum = Naturae juribus humanisque recte obeundis officiis, honestas cum Religionis puritate conjunctas, multum prodesse disciplinas; contra vero plurimum obesse inhonestas Religioni repugnantes. Dixi.